



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

14. De disciplina Canonorum & Capitulis Discip.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

mo verò superiore à Priore¹, vel eo absente à Vicario, ante laudes disciplinas recipiunt. Id autem fit feria secunda, nisi tunc festum Capituli occurrat, in quo casu ad tertiam feriam differitur.

CAPVT XIV.

De Disciplina Canonorum & Capitulis
Disciplina.

Disciplina Canonorum ex Statutis eorum petenda, quæ olim quam seuera fuerit Concilium Aquisgranense declarat, & Langhecrucius in Speculo Canonorum & Ecclesiasticorum, & in libris sex De vita & honestate Canonorum: remitto autem Lectorem ad singulorum Collegiorum statuta, ex quibus colligimus olim ab initio Canonorum disciplinam fuisse non minus rigidam, quam fuerit monastica, sed paulatim magis magisque collapsa est, sicuti & monastica: vnde & statuta paulatim laxiora & moderatiora prodierunt, quæ plurimum de pristina seueritate remiserunt & recenterunt. O vtinam adhuc expressæ antiquæ veritatis imaginem & umbram saltem retineremus. Olim sanctiores Canonici ob disciplinam laxatam alij ad Monasticam vitam strictiorem se contulerunt, alij sub vestitu Canonico habitum etiam Monasticum gesserunt, vt in vita sancti Eusebij primi Episcopi Vercellensis, & Sancti Ludgeri Monasteriensis & passim obuium est legere.

*Legito Vena-
torium Cano-
nicorum Re-
gularium per
Reuer. Patrē
Ioannē Mon-
burinum Ab-
batem.*

*Baron. to. 6.
Ann. & in
alijstomis
suppedita-
xempla.*

Ioan-

Ioānes Molanus de Canonicorum vita tres libros scripsit, in quorum priore cap. 4. Cononicos docet nomen habere à regula, quod canonicè & regulariter iuxta canones Ecclesiasticos viuere omninò debeāt iuxta disciplinam, vt latè & doctè ca. 4. libr. 1. deducit Molanus: quam etiam antiqua Disciplina & priscus viuendi modus fuerit præstans, docet eodem libr. 1. c. 6. 7. 8. 9. 10. ostendit autem tum eorum fuisse disciplinam optimam, cū adhuc initio communem vitam agerent, libr. 1. ca. 13. Postquam autem Canonici communem vitam deseruerūt & proprietariam elegerunt, mox dissolutio disciplinæ & liberrima eorum vita est exorta, vt demonstrat libr. 1. cap. 14. & 15. Quam pulchram autem initio vitam duxerint, explicat Molanus libr. 1. ca. 16. quod inscribitur de Regula Canonicorum, De eorundem castitate ca. 18. & quod Canonici regulam suam transgredientes censentur esse periuri cap. 20. libr. 1. Quantus autem olim fuerit rigor Disciplinæ & Pœnitentiæ tum priuatæ tum publicæ seueritas apud Canonicos explicat cap. 21. libr. 1. nam prima decantata regula legebatur, & pro qualitate & varietate excessum culpæ in Capitulo quotidie puniebantur, vt fusè & variè ibidem docet Ioannes Molanus, & sequenti capite 22. de Disciplina Capitulari memorabile & stupendum profert exemplum ex Thoma Cantipratensi libr. 2. Apum, cap. 39. vbi Decanus Rhemensis Canonicos viriliter pro excessibus corrigebat, & quoque Henrico ex regali genere orto Archidiacono Rhemensis & præfuli Catalaunensis, quod exequijs Alberti Leodienfis Episcopi

scopi iniuste à militibus Henrici Imperatoris occisi sine veste nuptiali interesset cum multa turba nobilium, disciplinam dedit. nam cadauere sepulto Decanus omnes Canonicos ad Capitulum vocavit & dixit electo, Nondum, vt credo, Archidiaconatum aut Canoniam resignastis cui electus. nondum, inquit. Surgite ergo, ait Decanus & dorsum ad disciplinam coram fratribus præparate, eò quod sine veste nuptiali chorum cum Canonicis contra regulam introistis. Accepta ergo à manu Decani valida disciplina, electus coram omnibus dixit. Gratias ago Deo & patriæ Ecclesiæ Rhemensis eius pijsimæ genetrici, quod te talem in hoc regimine derelinquo. Hinc magis locum istum deligam, & in sede ista dignam seueritatis memoriam venerabor: hæc dicens Archidiaconatum & Canoniam resignauit, & in se se verum esse ostēdit illud vulgare prouerbium. Quanto caput altius tanto collum mollius. Cùm autem Disciplina Canonicorum successu temporis valde corruisset plurimi insignes viri collapsam Disciplinam reformarunt, & in eadem vita regulæ obseruatiā instaurarunt, de quibus copiosè agit Molanus cap. 23.

CAPVT XV.

De Disciplina Regularium.

DE Disciplina Regularium in Roseto exercitiorum spiritualium Abbas Ioānes Monbur-
 nus in Dietario exercitiorum capit. 9. De Capitulo disciplinæ. Congregate vos in domo disciplinæ. Con-

*De Theodoro
 monacho in-
 disciplinato
 horrenda. Ba-
 ron. t. 7. Ann.
 fo. 655. 656a*